

1536

*Venetii mer-
catores et
eorum mer-
cimonia a
Turcis in-
tercepta.*

*Alexandri
Contareni
navis a
Turcis ca-
pta.*

*Decumæ
Turcis Ve-
netis merca-
toribus im-
positæ.*

casionesque maligne quærent, quibus infensum Venetis redde-
rent, ac sensim ad bellum aperte cum Republica pertraherent.
Inde nonnulli Veneti mercatores, qui negotiorum causa Byzan-
tii, atque in aliis Ottomanici imperii locis morabantur, falso-
rum criminum obtentu, in carceres detrudi iussi, eorum bona
fisco adjudicata. Alexandri Contareni navis variis, iisdemque
pretiosis onusta mercibus, non longe ab insula Cipro, cum fal-
so piraticam dicerent, a Rhodiensibus triremibus capta. In Sy-
ria decumæ mercimoniis, quæ a Venetis asportarentur, impo-
sitæ: literæ Nicolai Justiniani, Reipublicæ apud Suleimanum le-
gati, haud semel resignatæ. Quæ omnia a Turcis fieri comper-
tum erat, quod Rempubicam fœdere cum Cæsare infestissi-
mo illorum hoste adstrictam esse moleste ferrent; ob idque Mu-
staphas, præcipuo inter purpuratos loco, haud obscuris verbis
eam ob causam Venetos iratum Suleimanum experiri, illius vires,
atque impetum merito in se provocasse significaverat.

*Thomas
Mocenicus
extra ordi-
nem ad Su-
leimanum
orator.*

Hæc alieni, atque hostilis animi haud dubia argumenta Patres
magnopere commovebant, gravissimique belli onus Reipublicæ
incumbere providebant; quamvis eodem tempore Thomas Mo-
cenicus extra ordinem legatus ad Suleimanum, ut partas illi in
Perside victorias gratularetur, missus, perhumaniter habitus fuisset,
atque Ajax illi inclinatum ad veterem amicitiam servan-
dam Suleimani animum testatus esset: modo paribus, ut de-
cebat, officiis propensæ in illum Reipublicæ voluntatis signa
ederentur; quam semel pollicitus esset fidem nunquam fallere
consuevisse; quæ adversus mercatores, ac Venetorum navigia
acta fuerant, ea injussu Principis contigisse. His per literas By-
zantio missas intellectis, in ancipiti rei exitu ambigui Patres
versabantur; hinc injurias illatas non obscura belli indicia, in-
de benevolentiae signa in Thomam Mocenicum legatum, & Aja-
cis de pace sermones æstimantes: cum plerisque verisimile non
videretur, Suleimanum, qui Principum Christianorum vires,
studiaque optime nosset, præcipiti consilio bellum Venetis
inferendo, adversus se duas classes incitare, ac Rempubicam,
quam amicam habebat, simul cum Cæsare hostem experiri vel-
le, quæ per triginta sex annos pacem cum Turcico impe-
rio constanter servasset, atque in neutram inclinando par-
tem, æquabili temperamento ita se gessisset, ut nulla inde Otto-

ma-